Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 8tum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

obiectivam. R: anteq. definitum obiectivum est omnis definitionis commune quod ipsa definitio definitionis includit. Sed tamen definitum formalem ingreditur haec enim est haec vox definitio; definitio autem formalis sunt haec voces: oratio explicans naturam rei; et hae voces a prima illa voce distinguuntur, quae non sunt idem. Cum quod definitum omnis definitionis sit definitio, definitio formalis est quidem suis ipsius definitum obiectivum, sed non formale, quod sub diverso respectu. Plura alia quae hic ab iis obiici et urgeri solent, qui libenter ambulant in tenebris, omitto, quia fere sunt de lana caprina et inutilis tortura ingenii.

Caput Octavum

De divisione eiusque Regulis.

Duo sunt modi sciendi: est divisio et definitio; quod sit oratio distribuens totum in suas partes. Totum vocatur divisum, partes vero membra dividentia. Divisio essentialis est cum totum dividitur in partes essentiales, quae si sunt physicae ut si dico: alia pars hominis est unio, alia corpus, alia anima, est divisio physica; si vero sunt metaphysicae ut animal rationale, est metaphysica. Si dividitur in partes integrantes, est divisio physica integralis, ut si homo dividitur in caput, manus, pedes etc. Divisio logica est divisio totius potestativi in suas partes subiectivas, ut animal dividitur in hominem, leonem etc. Regulae porro bonae divisionis sunt sequentes.

Regula 1ma. Divisum debet plus continere quam singula membra dividentia. Totum debet esse maius suis partibus.

2da. membra dividentia simul sumpta debent adaequare divisum, quia omnes partes simul sumptae sunt totum.

3tia debet habere membra inter se opposita, ut unum non includatur in altero nec de eo possit praedicari propter realem vel formalem distinctionem, ne detur superfluitas, ut si dicerem aliud animal est rationale, aliud visibile.

4ta. divisio non fiat in plura membra quam sit opus, sed in proxima. Hinc mala est divisio substantiae in homines, prata, arbores etc. proxima enim genera sunt corpus et spiritus.

Obiicies: sic definitio et divisio sunt idem, est enim idem si dico leo est animal visibile, et si dico alia pars leonis est animal, alia visibilis. Dist. antec. est idem realiter, conc.; formaliter, N. discrimen est quod divisio habeat modum tendendi divisivum, definitio coniunctivum.